

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Artaxerxes.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

patefacta sit. Crucem ante domum suam in altitudinem cubitorum quinquaginta erigendam curavit, in quam eum tolleret. *A.* Percommode cadit, autorem in eam tollite, ut eadem, qua alios captat, via capiatur.

SENTENTIA.

Muliebrium illecebrarum magna vis est in utramque partem, hoc est, vel ad nocendum, vel ad juvandum. Malum consilium consultori pessimum. Impii suo ipsorum laqueo jugulantur.

ARTAXERXES. Nchem. 2.

ARGUMENTVM.

Nehemias a Rege Artaxerxe veniam & opes impetrat, eundi instauratum urbem Hierosolymam.

Artaxerxes, Nehemias.

Qui fit, ut vultu sis adeo tristi, cum non ægrotes? Mirum ni animi tristitia est. *N.* Rex, in perpetuum vive. Possum ne non tristi vultu esse, cum Urbs, in qua sepulchra sunt majorum meorum, everfa sit, & ejus portæ igne deflagraverint? *A.* Quidnam ergo petis? *N.* Si tibi videtur, & si quid apud te valeo, ut me dimittas in Judæam, ad instaurandam Urbem patriam. *A.* Ego vero dimitto. Tu dicito; quid tibi ad istud fieri velis? *N.* Curabis, si placet, ut mihi dentur literæ ad Prætores Syriæ, qui me curent deducendum, dum perveniam in Judæam. Deinde
literæ

literæ
mihi
quæ
mum
quæ p
tibi qu
preco

Reg
quocun
huic co

Ex
erga
divite
Ple

M^a
de fru
sunt fr
mento
nostris
dum,

a) Ven
b) Eju
tion

literæ ad Afaphum regis sylvæ custodem, qui mihi ligna suggerat, ad reficiendas portas arcis, quæ est ædi conjuncta: Urbisque mœnia, & domum, in quam sum diversurus. *A.* Dabuntur, quæ petis. *N.* Ago tibi gratias immortales, Rex, tibi que fortunatissimum, longissimumque regnum precor.

SENTENTIA.

Regis animum Deus habet in manu, eumque, quocumque vult, inclinat. Cui propitius est Deus, huic conciliat benevolentiam potentium.

NEHEMIAS. Nehem. 5.

ARGUMENTUM.

Expostulant pauperes Judæi de divitum erga se iniquitate avaritiæ. Et Nehemias divites cogit in ordinem.

Plebeji, Nehemias, Primates, Sacerdotes, Populus.

Magnus est tum nostrum, tum nostrorum liberorum numerus: ^{a)} comparandum est inde frumentum, quo vivamus. *Al.* Oppignorandi sunt fundi nostri, & vineæ, & domus, ut nos frumento contra famem muniamus. *Al.* Jam pro nostris agris, & vineis, ad tributum Regi pendendum, pecuniam sumpsimus mutuam: ^{b)} An æquum

^{a)} Vendendi sunt, ut comparemus.

^{b)} Ejusdem generis homines tam dispari esse conditione, iniquum est.

O